

F W B

A N N O

1 6 6 0

100/11

214 Nr. 3 95.


Crocina


nebst Manden Plinzen

1700-2-20/23) der Weiblich.


der Landgrafen Erbschaft für Hessen-Cassel
3. Cass. Kinder Erb.

L. IV. 44.
















Joh. M. Gebhardi
1703.

24

CIBVS
QVADRAGESIMALIS
EX
RESPONSIONIBVS
AD
LITERAS
ILLVST.^{mi} ET CELSIS.^{mi} PRINCIPIS
ERNESTI
HASSIÆ LANDGRAVII & C.
Hermanni Eyvichij & VVilhelmi
Halsij.



COLONIAE AGRIPPINAE,
Apud IODOCVM KALCOVIVM.

M. DC. LII.

QVADRAFFESIMALLIS

LIBRARIAS

LIBRARIAS

LIBRARIAS

LIBRARIAS

LIBRARIAS





3.
Crispit nuper Hermannus Ewichius simplicem responsionem ad literas Ill. mi & Celsissimi Principis Ernesti Hassiæ Landgrauij &c. Eidem Ewichio rescripsit Georgius à Iuliaco SS. Theologiæ candidatus Coloniae. Placuit Ewichio strenulam papyraceam Georgio offerre die 4. Ianuarij 1652. illumque inuitare, vt secundæ responsioni Ewichianæ ad iteratas literas Principis Landgrauij satisfaciatur. Eodem ferè tempore ad literas Principis fidelem admonitionem publicauit Wilhelmus Hulsius.

Cumque nunc Georgius à Iuliaco hîc non adsit; & iniquum videri posset, si pro oblata strenula nihil exhiberetur compensationis, volui, solo amore veritatis, remittere Ewichio *Cibum quadragesimalem*; simulque nonnulla ponderare, in ipsius, vti & Hulsiij responsionibus, quæ durioris videntur digestionis: vt qui cum Catholicis, iuxta antiquissimam obseruationem ieiunare & abstinere desierunt, antequam vltiori scriptioni se accingât, hæc paucula contentur digerere: nedum plures eructant cruditates, domesticæ infirmitatis abundantiora exhibeant specimina. Nec mihi animus, aut otium est singula referendi; inter quæ plurima, sexcenties refutata, quasi nihil vnquam responsum esset in scenam producuntur. Sufficiet illa obseruare, ex quibus publico ostendatur, quàm nihil sit in reliquis, quod peculiarem mereatur confutationem.

Strenula confert Catholicos Iudæis clamantibus: *Templum Domini, Templum Domini.* Ier. 7. Bella comparatio, si applicetur Calvinianis: *Strenula inepta.* Vel enim ipsi Ecclesias suas commendant, tanquam templum Domini; vel cupiunt eas haberi, tanquam vnâ schismaticorum & hæreticorum. Si Ecclesias suas commendant, tanquam iuxta Verbum Dei Reformatas, sub nouo Testamento verè Euangelicas, per Germaniam Protestantes, alibi Puritanas: similes erunt Iudæis, ex comparatione Ewichij. Sin verò eas velint haberi, tanquam vnâ schismaticorum & hæreticorum; gratulabor de agnitione apertissimæ veritatis.

Reliquas Strenulæ quisquillas alius euerret, si voluerit; mihi non alios est animus, quam cibos quadragesimales, debitâ exhibere parcimoniâ.

In altera Responsione miratur Ewichius, Principem Landgrauium *Admiratio cum f. um citione.*

Pag. 3.

um de quibusdam Calvinianæ Confessionis articulis dubitasse; & non simul hūc articulum Pontificium in quæstionem traxisse; *An solus Rom. Pontifex cū sua Ecclesia Cardinalibus* (balbutis, cur dicere; Cardinalibus) & *Prælati, vel etiam sine ipsis, sit Magister & Iudex Scriptura, & ex suo beneplacito fidei vitæque regulas & statuta sub anathemate præscribere possit.* Fateor, hanc quæstionem esse durissimæ digestionis: Catholicis tamen nullas cau-
labit cruditates, vt qui affirmatiuam in suis Ecclesijs non doceri, probe sciant. At verò Hermanus Ewichius, Historiæ sacræ Professor, etiamsi quadraginta diebus labore, vt affirmatiuam Catholicis tribuat; prodibit tamen a fello ventis exsiccato siccior; & vniuersi præiudicijs non occupati iudicabunt, omnes illos carere cerebro, qui Catholicis eiusmodi doctrinam affingunt.

1. Quæstio
Principis.

Sed iam ad ipsas eueniamus quæstiones & dubia quæ in Principis Landgrauij referuntur literis. Primum est: *Quod quisq; è sacro textu de doctrina fidei censere possit, tametsi ea sub anathemate præponatur à concilio verè generali.* Hoc autem scrutinium expertus est Princeps sibi impossibile: prout ipse scribit.

Pag. 4.

Quid hūc Ewichius? *Quoad primum dubitationis, illud à Reformatis nec ponitur, nec conceditur. & quare? Non est cuiusq; etiam in Christiana communi-
one de sublimibus mysterijs & controuersijs ex S. Scriptura iudicare: Quo-
rum igitur? Doctorum & in Scripturis exercitatorum.*

Pag. 9.

Obstupui, hæc legens apud Professore Reformatum; & cogitaui, an fortè Princeps Landgravius, quamuis in confessione Reformatæ educatus, & propria lectione instructissimus, in doctrina prætensè Reformatæ aberrasset. Sed cum mihi aliundè esset perspectum, eam esse Calvinistarum doctrinam, quam Princeps posuerat; rursus cogitavi, an Ewichius à receptissima suorum doctrina recederet, per Consistorium Wesaliense, vel vicinam classē in viam revocandus. Tandem aduerti, Calvinistas posse ex Verbo Dei de Christiana fidei & vitæ regulis dogmaticè & elencticè loqui & iudicare. Imo esse Papisticam impudētem imposturam, quando dicitur: *fideles non posse articulos fidei decidere ex Verbo Dei.* Atque hinc cœpi intelligere mysterium doctrinæ Calvinianæ. Nescio tamen an eius fundum perspiciam: adeò vniuersa sunt inuoluta quæ debebant esse apertissima.

2. Thessal.
3. 3.

Quæritur: *An quisque ex sacro textu possit iudicare de doctrina fidei?* Negat Ewichius: quia iuxta Apostolum: *Non omnium est fides.* Merito igitur perspicacissimus Princeps eā quæstionē proposuit, vnde intolerabiles absurditates doctrinæ Calvinianæ patescerēt. Si enim nō
omnium

omnium est fides uti verissimè Apostolus: quomodo Princeps Land-
gravius potuit certò & indubitanter cognoscere, se ex illis esse, quo-
rum est fides? Etenim nisi ex illis sit, quorum est fides, non poterit
ex sacro textu iudicare de doctrina fidei. Quocirca dicendum est ex
sententia Reformata: *illos solos posse iudicare de doctrina fidei, ex sacro textu,*
quorum est fides. Ut verò quis fiat fidelis: requiritur, ex fundamento
Caluiniano, ut iudicet ex sacro textu de doctrina fidei: & ut ex illis sit,
quorū est fides: ita ut antecederet certè decernat, se ex illis esse, quorū
est fides: quia cæteroquin fieri nequit, ut iudicet ex sacro textu de do-
ctrina fidei. In quo autem fundabitur illud antecedens iudicium, quo
quis decernit, se ex illis esse, quorum est fides? Enarret mihi Ewichius
hæc mysteria doctrinæ nouellæ in sacra historia incognitæ.

Rursum dicis, non quemque posse iudicare ex sacro textu de doctri-
na fidei, quia multi nec prima norūt Verbi Dei elemēta: *Heb. 5. 12.* Sed
hîc altera sequitur difficultas: an quis diligentia merè naturali possit
acquirere notitiam elementorum Verbi Dei: an quis, acquisitâ eius-
modi notitiâ, possit iudicare ex sacro textu de doctrina fidei? si hîc
affirmes, fies Arminianus: & desines esse Calvinista. Sin verò neges:
enarra nobis ex sacra historia, quid ulterius requiratur, ut quis ex sa-
cro textu possit iudicare de doctrina fidei. Dices indubiè, ad id requi-
ri, ut quis sit regeneritus. At verò hîc agitur: quomodo fieri possit, ut quis
iudicet ex sacro textu de doctrina fidei: & si ad hoc requiratur, ut quis
sit regeneritus: necesse est, ut prius certò decernat, se esse regeneritum,
quàm possit iudicare ex sacro textu de doctrina fidei. In quo autem
fundabitur illud antecedens iudicium: quo quis decernit, se esse rege-
nitum? Habes iterum, Ewichi, quod mihi enarres ex sacra historia.

Cæterum, ex domestica Calvinistarum doctrina, non semper con-
stat, etiam fidelibus & regeneritis, se esse fideles & regeneritos. Et Calui-
nistæ, etiam si ponantur fideles & regeneriti; non ideò sibi semper pote-
runt persuadere, se posse iudicare de doctrina fidei ex sacro textu: quia
non semper illis constat, se esse verè fideles & regeneritos.

Non ergò mireris, Ewichi, si Princeps Landgravius expertus sit
impossibile iudicium de doctrina fidei ex sacro textu: potuit enim,
ex doctrina Calviniana, esse fidelis & regeneritus, & tamen sibi persua-
dere, illud iudicium à se exerceri non posse quamdiu ipsi non consta-
bat, se esse fidelem & regeneritum.

Accedit, quod ex doctrina Calviniana, multi sibi persuadeant, se
esse fideles & regeneritos, qui tamen nec sint fideles nec regeneriti. Ideo-

que fieri potest; vt multi existiment, se posse iudicare de doctrina fidei ex sacro textu; qui tamen id reuera non possint; vt qui non sint fideles nec regeneriti. Ita Princeps Landgravius: que hæc doctrina non latebat, potuit esse fidelis & regeneritus, potuit sibi persuadere, se esse fidelem & regeneritum; potuit sibi persuadere, se posse iudicare de doctrina fidei ex sacro textu: & tamen vereri, ne immeritò sibi persuaderet, se esse fidelem & regeneritum; ne immeritò sibi persuaderet, se posse iudicare de doctrina fidei ex sacro textu.

Quando igitur Princeps Landgravius in literis suis dixit, iudicium de doctrina fidei ex sacro textu se expertum esse impossibile; processit in conformitate doctrinæ Calvinianæ, neque ab Ewichio traduci debuit, quasi Verbo Dei in Sacra Scriptura vellet os occlusum.

Pag. 4.

Debit verò Principi, per Ecclesiæ Calvinianæ Doctores & Professores dubitatio tolli, si fieri potuisset; non magis magisque confirmari, ut fit ab Ewichio. Sed mirum non est; quod eiusmodi dubitatio tolli nequeat: quando ipsa doctrinæ Calvinianæ fundamenta, si discutiantur absurditatibus scateant.

Consideret Lector, quid hinc requirant Calviniani: Vt quis sit fidelis debet credere articulos fundamentales ex sacro textu: Vt quis credat articulos fundamentales ex sacro textu; debet ex eodem textu iudicare, illos esse fundamentales: Vt quis iudicet ex sacro textu, hos & illos articulos esse fundamentales: debet ex eodem numero esse quorum est fides: debet esse regeneritus, id est, fidelis: consequenter, vt quis fiat fidelis, debet esse fidelis: Et si fideli non cõstet, se esse fidelem: neque eidem constabit, se posse iudicare de doctrina fidei ex sacro textu: Imò quantumuis sibi persuadeat se esse fidelem, poterit nihilominus vereri, ne id immeritò sibi persuadeat, & ne erret in iudicio de doctrina fidei ex sacro textu. Hæc sũt portenta novorum dogmatum magis admiranda, quàm antiquorum Stoicorum.

Iam videatur, quomodo per Doctores & Professores Calvinistas dubium Principis Landgraviij tolli nõ potuerit. Dabo illud Ewichio: *Non esse cuiusque, etiam in Christiana communione, de sublimibus mysterijs & controversijs ex S. Scriptura iudicare.* Si Princeps Landgravius, inter illos non erat, quibus competebat iudicium de doctrina fidei ex sacro textu: certè à suis Doctoribus & Professoribus erat instruendus. Non potuit autem fidere suis Doctoribus & Professoribus in tradenda doctrina fidei Calvinianæ ex sacro textu: quia ipsi docent, hominibus fidendũ non esse in negotio religionis: quia Principi constare non poterat

erat, suos Doctores & Professores ex ijs esse, quorum est fides; vel esset fideles & regenitos; vel ipsis constare de fidelitate & regeneratione: vti ijdem Doctores & Professores non gravatè fatentur. Quapropter nihil Principi potuerunt præstare, nisi simplicem instructionem, quam iudicaret sacro textui conformem: permittendo Principi iudicium, an ea instructio reuerà esset sacro textui conformis. Tale instructione exhibuerunt Doctores, qui de doctrina Calviniana scripserunt; talem exhibuerunt illi, cum quibus frequenter de Religione egit. His omnibus præmissis, non desinebat Princeps in eo herere, quod ex sacro textu de doctrina fidei iudicare non posset. Vnde in his circumstatijs redderetur quæta Principis conscientia quæ neque per doctrinam, neque per instructionem Calvinianam iuari poterat; imò per ipsam doctrinam Calvinianam magis reddebatur inquieta?

Vides, puto, Evvichi? nõ esse impudentem imposturam, quãdo *Pag. 9.* dicimus, fideles non posse articulos fidei decidere ex Verbo Dei: nisi fortè & impudens impostura sit? quando Calvinistæ dicunt, Non regenitos non posse articulos fidei decidere ex Verbo Dei. Ita scilicet, quicquid Calvinistæ volunt impudens impostura est; quicquid volũt pura pura veritas est.

Alterum dubium Principis Landtgrauij fuit super eam partem *2. Questio Principis.* sententiæ Calvinianæ, quæ dicit; *Scripturam in fidei essentialibus esse clarã.* Atque hic exhibet Evvichius quinque fundamentalia, Symbolum, *Pag. 5.* Baptismum, Eucharistiam, Decalogum & Orationem Dominicam; de singulis breuiter agens.

Ex symbolo sic dicit pueros in Catechismo concludere: *Quoniam* *Pag. 6.* *Christus semel in corpore & anima onus iræ Dei pro nobis pertulit, chimaricus timor est, at fictitium purgatorium conturbari.* Nego sequelam puerilem: Tu Domine Professor, forma, si potest, integrum syllogismum, sine nugis & sophisticationibus. Ecce similem formam: Christus semel in corpore & anima onus iræ Dei pro nobis pertulit; Ergò fideles non debent admittere vllum timorem, ne quidem inferni.

Ex institutione Baptismi concludis cum pueris: *Quoniam Chri-* *Pag. 7.* *stus omnes gentes, ubi ipsius annunciatum Euangelium admittitur, iubet baptizari? etiam omnium eorum credentium pueros, quia eos computat inter istos populos & fæderis participes, baptizandos esse.* Miror hæc ab Evvichio proferri; quem non latet, quid olim Calvinistæ eiusmodi collectionibus aduersus Anabaptistas effecerint: Quamuis enim eiusmodi collectiones sint probabiles; seruiantque ad confirmandum, quod aliundè certum est

est; non tamen necessario concludunt. Deinde; si pueri fidelium baptizandi sunt ex institutione baptismi; cur non servant eam institutionem Ministri Calvinistæ, qui in varijs locis sinunt pueros mori sine baptismo, quando in ipsorum templis adhibitâ concione baptizari non possunt? quomodo probant ex institutione baptismi, tales pueros, non esse baptizandos, vel licite non baptizari; quantumvis alij Calvinistæ eiusmodi pueros baptizent? Postea; vel omnes pueri, qui legitime baptizantur, etiam regenerantur, vel non omnes regenerantur: si omnes regenerantur; ergo regeneratio semel habita non est; inamissibilis, vti docent Calvinistæ, quia certum est, multos fidelium pueros, legitime baptizatos, postquam adoleverunt, mori in peccatis mortalibus: Sin verò non omnes regenerantur, quomodo Christus in institutione baptismi voluit aliquos fidelium pueros baptizari, quos non voluit regenerare: imò quos voluit cælo excludere, pœnisq; æternis addicere, etiam morientes in prima infantia? quomodo Sacramentum salutis instituit pro illis: quos noluit regenerationis & salutis esse participes? Hæc recogita Ewichi, & responde, si potes.

Ibid.

Ex institutione Cœnæ concludit: *Christi voluntatem non fuisse, ut Laici solum medium Sacramentum sine calice porrigeretur &c.* Miror hæc proferri: vel enim articulus de Communionem sub vtraque specie est necessarius ad salutem: vel non est necessarius ad salutem. Si sit necessarius ad salutem: ergo Calvinistæ dispensant in articulo necessario ad salutem, quando suis abstemijs dant solum panem sine vino: Sin verò non sit necessarius ad salutem: iuxta Calvinistas, eius articuli nulla vel exigua habenda est cura.

Pag. 8.

Ex decem præceptis cōcludit: *Cum in ijs reperiatur omnis obediētia de amore Dei & proximi, à quo dependet tota Lex & Prophetæ: idèd necesse non est, mandata Pontificia ijs adiungere.* Vt videas absurditatem cōclusionis tuæ: accipe similem formam: Cum in Decalogo reperiatur omnis obediētia de amore Dei & proximi, à quo dependet tota Lex & Prophetæ: idèd necesse non est, Disciplinam Ecclesiasticam Calvinisticam ijs adiungere: vel Ministros aliosque iuramento astringere ad eam seruandam: idèd necesse non est, dies precum & ieiuniorum instituere, vel eos punire, qui eiusmodi diebus publice laborant.

Ibid.

Ex oratione Dominica concludit: *Non esse comparandum coram Deo proprijs viribus & meritis: quia debemus petere, ut voluntas eius in nobis fiat, & ut dimittat nostra peccata.* Quis docet, bone Professor, proprijs viribus & meritis coram Deo cōparendū esse. Scimus, nos non esse sufficientes
cogita-

cogitare aliquid boni ex nobis, tanquam ex nobis. Scimus nos non habere vlla merita ex nobis, sed ex Dei gratia: cuius tanta est in homines benignitas, vt velit esse nostra merita, quæ ipsius sunt dona.

Dicis, Euvichi, ex his & similibus facile tolli posse dubitationem Principis Landgrauij de articulis necessarijs. Ego verò existimo, te magis permouisse Principem; vt iudicaret in eo negotio nihil certi à te tuisque sperandum esse, ideoque amplectendam esse auctoritatem Ecclesiæ infallibilem, quam tutò sequatur.

Tertium Principis dubiū, seu quæstio est: *An Ecclesia à 1400. circiter 3. Quæstio
annis admiserit plerasque hereses; quam sciat Princeps in Sacris literis appellari
Principis.
columnam & firmamentum veritatis.* Hoc dubium sic intellexit Euvichius quasi ageretur de sola Ecclesia Romano-Catholica: cum tamen agatur de Ecclesia universali. Nam Princeps in suo dubio non loquitur de Ecclesia Romano-Catholica; sed de Ecclesia, quæ in Sacris literis vocatur columna & firmamentum veritatis; quamque vniuersalem esse non grauatè concedunt Calvinistæ. De hac Ecclesia visibili, in qua prædicatur veritas revelata, in qua legitimè administrantur diuinitus instituta Sacramenta, agit quæstio. Quæritur, an tota ista Ecclesia, à 1400. annis admiserit plerasque hæreses. Nos quidem meritò tenemus; Ecclesiam Romano Catholicam esse vniuersalem: sed Princeps id nondum profitebatur, quando eam proponebat quæstionem. Quæ propter Calvinistarū fuit ostendere, vel Ecclesiam visibilem IESV Christi non esse perpetuā; neq; in ea semper prædicari necessariā veritatem reuelatam, sine erroribus fundamentalibus; nec legitimè administrari Sacramenta: vel semper fuisse aliquam Ecclesiam visibilem, necessaria tradentem, erroribus fundamentalibus non fœdatam, admisis hæresibus non destructam. Ostende, Euvichi, quamnam sit doctrina fundamentalis Ecclesiæ Calvinianæ; & proba eam ex S. Scriptura: Ostende, quinam dicendi sint errores fundamentales; & hoc ipsum declara ex sacris literis; peragas deinde, & monstra, an in Scripturis prædicta sit & promissa visibilis Ecclesia Christi perpetua: Nam, si neges id prædictum & promissum, contradices Verbo Dei antiquæ Ecclesiæ testimonijs, & tuorum Doctorum confessionibus: Sin autem id affirmes; qua fronte scribis; id negare; & populo persuadere; leprosum esse mundum, & mortuum non obijisse, idem fore? Sed tu loqueris de Ecclesia Romana. Peragamus.

Dicis; Ecclesiam esse columnam & firmamentum veritatis, atque id verum esse de vniuersis verè fidelibus. Quæro, an sit verum de *Ibid.*

B

vni-

uniuersitate fidelium; an solum de singulis fidelibus? Si de uniuersitate fidelium est verum, quod sit columna & firmamentum veritatis; quia uniuersitati ampliores & vberiores factæ sunt promissiones, quam singulis fidelibus: ergo uniuersitas fidelium non admisit plerasque hæreses à 1400. annis: ergo Calvinistarum est ostendere, fuisse tempore separationis suæ ab Ecclesia Romano-Catholica uniuersitatem fidelium, siue Ecclesiam in qua necessaria veritas reuelata prædicabatur, sine hæresibus & erroribus fundamentalibus; qualem tamen hucusque non nominarunt: & cui se debuissent adiungere, siquidem eiusmodi Ecclesia fuisset. Sin autem, quod Ecclesia sit columna & firmamentum veritatis, id solum intelligitur de singulis fidelibus, non temporaneam & fluxam, sed fixam, immobilem, & salisfirmam fidem habentibus: loquatur Euvichius aperte: & inuoluetur domesticis absurdis.

Vt probet Romanam Ecclesiam à 1400. circiter annis in hæreses incidisse, quid non dicit Euvichius: fatentur Calvinistæ communiter, Ecclesiam Romanam primis post Christum quadringentis vel quingentis annis mansisse veram Iesu Christi Ecclesiam: Euvichius, historiae sacræ Professor, hæreses tribuit à 1400. annis: quomodo hæc cohæret? Crocius ad eandem Principis quæstionem dicit: *Non est nostrum dogma.* Ergo Crocius ex illis est, qui populo persuasum cupiunt, leprosum esse mundum, & mortuum non obijisse: vel Euvichius nugatur.

Narrat S. Basilium Romanos aliosque Episcopos Occidentis accusare, quod hæreses confirmet. At peto vt designes vnã hæresim, quam dicat S. Basilius admissam ab Ecclesijs Occidentis in fide cum Episcopo Romano communicantibus. Evolve historias antiquas & experire vires tuas.

Dicis, fuisse hæresim Iacobitarum & Armenianorum, imagines facere Dei Patris & S. Spiritus. Niceph. lib. 18. c. 53. Sed non ostendis, eam hæresim, si tamen hæresis est, ab Ecclesia Romana à 1400. annis esse admissam. Non ostendis eam hæresim, si tamen hæresis est, ab Ecclesia Romana, quæ nunc est, vel quæ præcedentibus sæculis fuit, in ullo concilio siue generali, siue particulari esse confirmatam. Ergo per Calumniam tribuis Ecclesie Romanæ quod nec docuit, nec docet. Deinde, non dicit Nicephorus, fuisse hæresim Iacobitarum & Armenianorum, *imagines fecere Dei Patris & Spiritus Sancti.* Profer verba si potes, & desine fingere. Postea, non est apud Calvinistas hæresis, facere imagines Dei Patris & Spiritus Sancti: quia in Biblijs impressis Calvinistarum & Lutheranorum:

Ibid.

Ibid.

videndus
Homo.

ranorum inueniuntur imagines Dei, Dei Patris, Dei Filij, & Dei Spiritus sancti. An Biblia vestra & fratrum vestrorum propterea circumferunt haeresin? Sed ostende: esse haeresin & errorem fundamentalem, si quis faciat imaginem Dei Patris & Spiritus sancti: & non esse haeresin, si quis doceat cum Lutheranis vbiuitatem, & realem praesentiam in SS. Eucharistia. Nolo hic plura adferre: habebit Euvichius quod suminet tota instante quadragesima.

Cum hic ad vniuersa & singula Euvichij allegata non responderim: clamabit cum antiquis haereticis, apud S. Hieronymum: *Hic, hic te euietum teneo, hic totius negotii cardo versatur.* Sed mihi non lubet singula discutere; quae multoties producta & refutata sunt: maximè cum tempus à Deo concessum vtilius liceat impendere. Vale, Euvichij: & remitte mihi, si placet, oua Paschalia: ita alternis manusculis mutuam fovebimus charitatem: & instante vere exhorto Calviniano tibi tu ilque (si volueris) colligam *Patientiam*, qua deposita non nihil animositate & acerbitate mirelcas.

Epist. ad Damascum.

Wilhelmus Hulsius refert duas Principis Landgrauij quaestiones: *Page 41.*
 Alteram: *An Christus Dominus dederit Apostolo Petro iurisdictionem super vniuersalem Ecclesiam, &c.* Alteram: *An post aetatem Apostolorum existerit, aut existat homo, aut coetus hominum, qui habet infallibilem auctoritatem proponendi doctrinam fidei, &c.*

Page 51.

Dicit Hulsius: ex S. Scriptura probari non posse, S. Petro iurisdictionem super vniuersalem Ecclesiam à Christo esse concessam.

Conatur id probare Hulsius: quod orta inter discipulos cōtentione, quis eorū videretur esse maior: Christus dixerit: *Reges gentium dominantur eis: & qui potestatem habet super eos, benefici vocantur. Vos autē non sic.* Hic quæro: An Hulsius putet ex eo loco sufficienter probari, S. Petro non esse concessam iurisdictionem super vniuersam Ecclesiam? Existimo id Hulsiam sibi persuadere non posse; qui nouit, non omnē praeminentiam à ministris Christi esse exclusam. Existimo Hulsiam non latere, quod eo tempore de temporali regimine non parum cogitauerint Apostoli; & fieri posse vt de temporali regimine cōtēderint: Christus etiam de temporali regimine responderit. Sed cōtēderiat de Ecclesiastica superioritate Discipuli; Christus Dominus excludens potestatem Domini, non ideo excludit potestatem superioritatis Ecclesiasticae: Nā & de futuris Regibus populi Iudaici dicebatur in Veteri Testamento: *Non eleuetur cor eius in superbiam super fratres suos.* neq; tamen ideo tollebatur potestas regiae iurisdictionis. Accedit, quod ipse Christus eodē tempore, quo erat contentio inter discipulos, non obscure insinuet vnius praeminentiam, quando dicit: *Qui maior est in vobis fiat sicut iunior: & qui praecessor est sicut mini-*

Matt. 23: 25: Marc. 10: 41. Luc. 22: 24.

Deuterom. 17, 20.

B. 2:

fratror



12.
Frater, Vt quid diceret; qui maior est; vt quid diceret; qui *præcessor* est; si nullus inter discipulos, esset maior, nullus præcessor: Vt quid iniungeret maiori, fiat sicut iunior; vt quid iniungeret præcessori, fiat sicut ministrator; si inter discipulos omnimoda erat æqualitas? His positis; consideret Hulsius, quæ ratione ex loco allegato possit certè euincere; S. Petro non esse concessam iurisdictionem super vniuersam Ecclesiam.

Matth. 16. Pro sententiâ Catholica adducitur scripturæ, vbi Christus, dicit: *Ego dico tibi quia tu es Petrus; & super hanc petram edificabo Ecclesiam meam, & porte inferi non prævalent adversus eam, & tibi dabo claves regni cælorum, & quodcūque ligaueris super terram, erit ligatum & in cælis, & quodcūque solueris super terram, erit & solutum in cælis.* Hic Apostolo Petro dari potestatem Ecclesiasticam; non negant Calvinistæ, Dari autem summam & generalem potestatem; constat ex verbis: *quodcūque ligaueris, quodcūque solueris.* Nec enim id rectè diceretur: si aliqua potestas Ecclesiastica esset Apostolo Petro non concessa.

Pag. 8. Per potestatem clauium, fatente Hulsio, intelligitur facultas ligandi & solvendi: quia soluere & aperire, ligare & claudere idem sunt. Sed dicit eandem potestatem ligandi & solvendi, aperiendi & claudendi, non tantum Petro, sed & alijs Apostolis esse datam *Matth. 18. 18. Ioan. 20. 23.* Fatet eandem potestatem alijs Apostolis esse datam: sed nego, supremam potestatem singulis Apostolis esse datam. Neque vos diciris vel *Matth. 18.* vel *Ioan. 20.* singulis Apostolis esse datam potestatem in reliquos Apostolos: cum v. g. Apostolus Simon non habuerit potestatem super Apostolum Andream. Suprema igitur potestas *Matth. 18.* & *Ioan. 20.* data est omnibus Apostolis simul sumptis: ita vt omnes simul plus possent, quàm singuli seorsim: nam omnibus simul sumptis compete-
bat potestas in hunc & illum Apostolum particularem v. g. Mattheum & Bartholomæum quæ potestas non compete-
bat v. g. soli Apostolo Ioanni, vel Apostolo Iacobo. Cumque eadem suprema potestas sit *Matth. 16.* collata soli S. Petro, necesse est, S. Petrum solum habuisse eandem potestatem supremam, quam habebant reliqui Apostoli simul sumpti: & maiorem, quam reliqui Apostoli seorsim considerati.

Habes Hulsii considerationem super vnica tua probatione: habes etiam vnam probationem pro doctrina Catholica. Si tibi animus est ordinatè, & sine maledictis respondere: atque à propositis hinc inde probationibus non recedere donec veritas partem alteram statuatur victricem: ego meam opellam tibi cuiusque lubens addico. Sin autem cogitas per multa vagari: & iniurijs implere libellos: ego te inter eos numerabo, pro quibus orandum, non inter eos, cum quibus disputandum est. Quia autem in toto tuo scripto multa congeris super questionibus, quarum probatio Calvinistis non est à Principe Landgrauio iniuncta: plurima etiam partim iniuriosa, partim ad rem non facientia concaceras interim planè taciturnus, vbi erat loquendum: volui ijs omnibus: tanquam sæpè refutatis, manum non applicare. De exiguitate responsionis meæ non est quod conqueraris: cum non deceat *cibum quadragesimalem esse abundantem.* Vale Colonia 9. Februarij. 1652.

FINIS.

154887

ULB Halle 3
002 639 602




56.

AB 154887



Chry
Ernestus
Lagou
Mant





CIBVS
QVADRAGESIMALIS
EX
RESPONSIONIBVS
AD
LITERAS
ILLVST.^{mi} ET CELSIS.^{mi} PRINCIPIS
ERNESTI
HASSIÆ LANDGRAVII & C.
Hermanni Euvichij & VVilhelmi
Halsij.



COLONIAE AGRIPPINAE,
Apud IODOCVM KALCOVIVM.
M. DC. LII.

